



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 64. Si autem bene, quid me cædis? v. 23.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

cet præsertim ministro. sic monuit Eccl. c. 19. *Corripi amicum ne forte non intellexerit & dicat, non feci, aut si fecerit, ne iterum addat facere.* 3. ut eo responso tangeret & instrueret Pontificem. Talem scilicet iustitiam & libidinem ministrorum in iudicio, præsertim ipso præsentem, non ferendam esse; servandam potius in iudiciis æquitatem nec puniendum quenquam priusquam convincatur. 4. ut hoc responso peccatum suum ostenderet animum, si enim nihil prorsus respondisset, perturbatum ex iniuria credidissent, & clanculum indignari. Nunc autem prudente & peccato responso aperuit animi sui tranquillitatem: quod iracundi facere non possunt ob perturbationem. submittit se hoc responso iuribus humanis, paratus emendari ab hominibus, si quid male dixisset.

CONSIDERA hoc homo ingratus, qui ne unum quidem rigidum verbum vispati, quia mox excruciasse ira, exprobras, iuras, blasphemias, non expectans donec Deus te vindicet, sed mox meditaris vindictam per verba & per facta, pœnitet te quod iniuriam non retuleris. gloriaris si vindicaris. Hic tamen vides Regem omnium, qui talem suscepit iniuriam, à tam vili homine, idque in loco publico, & in faciem illam sanctissimam etiam Angelis desiderabilem percussus patientiam servavit, reddidit doctrinam.

§. 64. *Si autem bene, quid me cædis? v. 23.*

Quid hac responsione æquius? mansuetius? iustius? olim Deo miraculum faciente conquesta est asina contra Balaam sessorem & iniquum percussorem suum. Num. 22. *Quid feci tibi? cur me percutis? idem nunc dicit Dei filius, qui alioquin dicere poterat: Descendat ignis de cælo, & devoret te cum tuus;* sed è contra dicere voluit non repercutio, non vindico me ipsum, sed moneo te ut respicias, ne peiora tibi à Deo contingant: cædis me quidem quæ reprehendere non potes: cædis me quem prius admirabaris: cædis me qui non fungeris officio Iudicis. nec à Iudice potestatem accepisti: cædis me qui nunquam te læsi. nihil igitur per hanc contumeliam efficis, quam quod te ipsum damnas.

ARGUITUR hic impatientia nostra, qui semper vindictæ cupidissimi etiam in minimis iniuriis illatis, nec recordamur scriptum esse Eccl. 10. & 28. *Via ad mortem sunt, eorum qui iniuria memores sunt, & iterum relinque proximo nocenti tibi & tunc deprecanti tibi peccata solventur.* Discamus tandem illatas iniurias patienter ferre, quando quidem non primi nec soli sumus quibus hoc contingit! Discamus itidem in adversis os compescere, nec contra Deum murmuremus. Sed solum in iustæ defensionis tutelam ora laxemus.

G

§. 65, Et